

Q.K. 353, 48.

X4903848




SAMUEL PUFENDORFIUS
MODESTIÆ
CASTIGATIONE
ADMONITUS.

Plaut. Curcul. Act. 4. Sc. 2.

*Indignis si malè dicitur, maledictum id esse dico:
Verùm si dignis dicitur, benedictum est,
meo quidem animo.*

A. O. R. clb lbc LXXXVII.





Brepere publicæ luci haud ita pridem
ausus est *invenustus* (quo stigmatē
frontem inustam gerit,) *Veneris Li-*
psicæ pullus, Vulcanum patrem eâ si-
ve ingenuitate sive impudentiâ men-
tiens, ut se Palladem Jovis Scanici ce-
rebro ortam potius ferat, Jovis, inquam, per convicia,
scommata atque maledicta altitonantis, per medias li-
bidines in turpes iras Veneris isto in pullo atque igno-
bilia fulmina effusi; quamvis essent, qui Erichonium
terris redditum opinabantur, & ipsum semine Vulcani
procreatum, nimiâ impetigine vim Minervæ intentan-
tis in terram effuso, *prolem sine matre creatam*, pro
homine angvem, *apportectumque Draconem*. Certè
ita Valentino Alberti, Professore Lipsiensi, suppositum
obtrusumve foetum apparebat, ut Samuelis Pufendor-
fi esse, ne ipse quidem inficiaretur, tam tenero blandi-
patris etiam in foedam progeniem, atque in monstrum
abeuntem, amore, ut quem extinguere satius erat, tolle-
re mallet, vix reprimens labra, quin in amplexus atque
oscula ruat, (quæ aliquando etiam deformium bucca-
rum fortuna est, ut suos inveniant Basiatores) ut jam
nullo amplius aut Planciani Jcti, aut si, quod aliud D.
Hadriani tempore in favorem liberorum conditum,
remedio in patrem, sponte partum agnoscentem, opus
habeat

habeat proles, primo quamvis statim intuitu injucunda, horrida, frontis perfrictæ, vix unius sortita luminis usum, Vulcano denique, quo se excretam vult videri, dignissima.

Alcumenam in theatrum rediisse existimes, cujus geminam sobolem Pater (Diespiter, quem diximus, Scanicus,) curavit, *uno ut foetu fieret, uno ut labore absolueret ærumnas duas*, duobus, Albertino altero, altero Pufendorfio, simul ad vitalem auram tendentibus. Atque hinc tantus strepitus, crepitus, sonitus, tonitus, tam diversum sibi que repugnantem foetum vipereis, si indolis ferociam inspicias, dentibus satos, rixæ incrementa futuræ, unico nixu enitente malitia, nisi pro unico habeas duplici, atque, ut monstro conveniebat, adversa sibi fronte pugnantem. Haud indignus videlicet Jove Scandinavio Hercules, Puer, quo minus de nobilitate natalium dubites, jam in fasciis magnus, atque multum validus, quemque nemo quispiam colligere queat in cunabulis; & cui, quod amplius mireris, puerilis ludus sit, è curis suis exilientem angvem, recenti è partu manu, extinguere; præcoci certè atque supra audaciæ virilis modum ferocienti, *ad fustitudineas ferricrepinas insulas cum patre deportando, ubi vivos homines mortui incurfant boves*, illico in cunis merito, qui scuticas, quas aliis intentat, excipiat puer improbissimus, ne amplius dissimulemus, liber *posita fallacis imagine pulli*.

Ita scilicet, ne diutius næniis Pufendorfianis immeremur, congruebat, ab inficetis fabulis scriptionem su-

am ordiri Pufendorfium, non pullo, sed conviciis gravida-
dam, ut facile conjiceret, etiam ad istam formam cete-
ra fore; atque vino tam vitioso hederam non meliorem
suspensam esse. Vix caveâ suâ emissus, nullo edito tri-
pudio solistimo, omine ipsi Pullario infausto, evolave-
rat pullus, cum tam invenustum, qualem ne ipse qui-
dem Pater diffitetur, tam improbum, tam protervum
primo statim aspectu plerique averfarentur, quorum
nondum pectora literariæ dignitatis cura, aulici decoris
studium, & humanitatis præsertim atque modestiæ a-
mor deseruit.

Jam dudum pertæduerat meliorem eruditi orbis
partem altercationum; quas utcunque, ut videbatur,
sopitas ad lucem, aut jam emortuas ad inutilem noxi-
umque vitæ ulum ex orco revocari, ægris animis acci-
piebant, jam isto, ut crediderant, rixarum tædio mole-
stiâque defuncti. Atque erant, quibus neque Valenti-
ni Alberti factum placebat, si is, quod adversarius cri-
minatur, quieta rursus movere, ruptisque nullâ novâ
de causâ induciis, armorum satis incivilium repeten-
dorum occasionem initiumque præbuisset, aut dicta
innoxie in alterius invidiam sequiori corrupisset inter-
pretatione; ut, quicquid evenerit, merito sibi accidisse
videri posset.

Neque tamen justam adeo tumultuandi rationem
fuisse Pufendorfo, si à sententia ipsius Albertus dissen-
tire publica testatione perrexisset; & molliori litigio de-
fungi posse contrariis opinionibus occupatos, si de ve-
rita-

ritate acqvirenda tuendave, non futili gloria, plus dede-
coris, si rectè rem putes, allatura, certum sit. Verum id
Pufendorfianæ arrogantiaë esse, solo dissensu mirum
concitari, sese lælum arbitrantis, nisi, qva se jaëtat in au-
la, regnare patiaris; cujus indignationem qvacunqve
verborum modestia atqve comitate frustra effugias, ex
amore sui aliquantum sævioris, elogiorum ab adversa-
riis cumulatorum blanditiis magis ferocientis, sive in
metûs atqve imbecillitatis argumentum trahat, asperi-
tatem ultionis velut humilitate qvadam verborum de-
precantium, sive animum extollat ipse laudis sensus,
cujus ab adversa parte profectæ sincerior fides, validior-
qve auctoritas est. Neqve intra civilium irarum mo-
dum sese continere vindictam superbissimi hominis,
cujus eqvidem ut præcipuum in dentibus robur, ita in
morsu victoriam, atqve per irrisum triumphum esse.
Retineri inter eos saltem, qvi posita pace non totam hu-
manitatem exuerunt, etiam belli jura, atqve officia
qvædam inter eos qvoqve servari, à qvibus injuriam
acceperis; neqve, apud moratas qvidem gentes, ita ef-
fusam armorum victoriæqve licentiam esse, ut, quan-
tum possint, desæviant, esse deniqve ulciscendi & puni-
endi modum, atqve crudelem merito censeri, qvi si
forte puniendi habeat causam, modum finemqve i-
gnoret. Ast non istas humaniorum populorum, ipsi-
usqve Naturæ leges cogitare Pufendorfium, tam egre-
giè adversus pudorem audaciâ impudentiâqve muni-
tum; perituras eqvidem, nisi illas tam protervè violan-

do ipse tuendas suscepisset, dicax, importunus, ferox, & si non causâ, saltem conviciando potentior. Haud inelegantis equevidem etiam inter Eruditos, sententiis decertantes, pugnae speciem censerent, brevi invicem defungi dicerent, & quæ ab altero secius dicta aut scripta, modesto risu traducere; Neque ita arctè illos contenteqve haberi, ut pro immodestia accipiatur, adversarium leni ictu pulsasse. At frustra eam moderationem à Pufendorfio expectari, homine sui impote, atque ubi vel levi dissidio lacefferis, in scommata, convicia atque cachinnos effuso, neque modum neque modestiam habente, tum maximos sibi fingente triumphos, si adversarium maledictis contumeliisque vicisset. Has scilicet Pufendorfio præcipuas bellandi vincendique leges artesque placere, exempto hominum dignitatumque discrimine, in scripta, famam, & tantum non in ora dissentientium involare, vellicare conviciis, arrepta undeque risu sciendi occasione, ludibrio habere; tum egregiè à se domitos debellatosque existimanti, si verborum nequitiâ velut in medium provolutos, multisque conviciis miserè depexos publico irrisu velut per triumphum traduxisset, caninus heros, inclytus, felix, *Velthemicus*, *Geseniacus*, *Becmannicus*, *Schwarzicus*, *Alberticus*, & si quibus aliis, ex debellatis, uti is sibi videtur, hostibus titulis gaudet, triumphator magnificus. At scurrarum hanc, mimorum, atque Morionum gloriam esse, quibus omnis in dicacitate laus ingenii sit, ita ut optimè officio theatri defunctus videatur, qui scur-

rili-

rilitate ceteros antecelluisset. Verùm, alias viri docti
atqve literarum humanitatem professi, alias histrionis,
alias Roscii, alias Ciceronis, alias deniqve Samuelis Pu-
fendorfi, alias Joannis Potagii partes atqve gloriam es-
se. Qvin neqve histrionibus, quamvis infra hominum
honestorum censum projectis, solutam omni lege aut
coërcitionis metu lasciviendi conviciandiqve licentiam
fieri; ubi immodestius egerint, non urbe tantum, sed
Italiâ quoqve, atqve iis quidem temporibus, pulsis,
quibus corruptissimæ urbis mores in theatralem lasci-
viam neqvitiâqve abiisse videbantur. Neqve in au-
lis, si qui Principibus à ludicris habeantur consiliis, im-
punitate frui protervius insanientes, ferulâ, atq; flagris,
inspectante aula, modestiæ admoneri solitis, si quando
in aliorum honorem, dignitatem, existimationem, a-
liave verborum protervia in morum disciplinam im-
probius peccavissent. Adeò etiam scurrilitati lascivi-
endi modum, suos terminos esse. Quàm verò à viro
gravi alienum, quàm officio atqve dignitate literati in-
dignum, quàm deniqve non nisi Pufendorfi ingenio
congruum, à negotii, de quo agitur, tractatione ad con-
vicia in adversarium, nihil ad rem pertinentia, diverte-
re, nulla, quam saltem ordini debebat, reverentiâ, Gele-
nium Garlejâ, Albertum Rastro Lipsico, Eilen-
burgiâ, spectandos orbi literato deridendosqve propi-
nare, & quibus aliis, (neqve enim recensione earum in
tempus paginasq; delinquere fas foret,) animi impro-
bitatem hæctenus testari, volupe fuit. Egregiè verò A-
gyrtam

p. 39.

gyrtam in publica eruditorum scena egisse Pufendorfi-
um, *Accedite ergò huc*, sub persona Alberti in forum
prostituti vociferantis, *Et emite oriet anura meum, ami-
ci, Et in futuros usus recondite. Cavete autem ab eo,
quod alter iste vendit, quod nihil planè valet.* Adeò
insanire Pufendorfium, neque dicere, neque facere
quidquam pensi habentem, modò animo morem ge-
rat, non aliunde lautius, quàm conviciis, vellicationibus,
ignominiâque proscissæ indignissimis scommatibus
partis explendo.

p. 50.

Istud verò improbius, atque dignum palo facinus,
& cui castigando fasces virgasque lictor expediat, Al-
bertum, nulla dignitatis talaris veneratione, virgis pu-
blicis destinantis, quas à tergis cujuscunque Civis Ro-
mani, etiam proletariæ sortis, Porciæ leges, naturalium
legum Doctore scilicet tanto humaniores modestio-
resque, remotas voluere. His videlicet maximè præsi-
diis niti, istis munimentis insistere Pufendorfium, ho-
mines saltem dignitate venerandos facto impetu, ubi-
cunque occasio obtulerit, allatrare, mordere, & ubi ea
dentium vis aut felicitas sit, laniare atque discerpere so-
litum, nihil denique canini à se alienum putantem; im-
probitatem atque audaciam pro munimento haben-
tem, atque tum optimè rem atque ex sententia ad ho-
noræ pacis fructum gessisse ratum, si adversarios supe-
rasset opprobriis, & maledictis tanquam pugnis in sopo-
rem collocasset.

Neque tamen solertissimo homini immodestix
sux proterviæque rationem deesse, cui literarium, aut
ejus

ejus saltem, quæ de jure Naturæ agitur, Disciplinæ re-
gnum animo jam pridem invadenti, nihil rebus votis-
quæ suis consultius visum, quàm aliunde in eam veni-
entes hospitio pugna excipere, dissidentes latratu, mor-
su, canina denique, quæ plurimum polleat, facundiâ, &
tantum non virgis (*vix enim à scuticis continet ira,*
manuum) amoliri, atque hanc à se maximam amovere
molestiam, ut ne quis contradicendo in viri auctorida-
tem atque gloriam delinquere audeat. Ita nempe ter-
rorem circumponendum fuisse famæ, ne quis esset,
qui vel dissensu laceßere velit, infortunium habi-
turus, si quis aut sententiæ suæ aut modestiæ fiduciâ se-
se isthuc penetrasset; ita ut, quisquis cominus adveniat,
pugnas edat, herois ad depalmandos homines ultra
Neratium Gellianum hominem quantumvis impro-
bissimum expediti, ad inopiam quidem redigendi, si in
singulas injurias viginti quinque assium pretium atque
æstimatio foret.

Quàm nimirum impudentissimè fecerit, ita ma-
ximè tutum sese arbitrari. Neque ferè jam amplius
probro vertendum Pufendorfio præceptis ingenium
fortito, si convitiatoriam exerceat, quam indoles atque
natura inseverit, atque ad tantum eduxerit fastigii con-
suetudo, ipsa indole atque naturâ potentior, ut jam
non aliter possit, si more faciat suo, apud quem elegan-
tia habeatur scurrilium diæteriorum vilitas; neque in-
solens esse, ad ingenium se semper recipere, moresque
suos persequi hominem, tantis jam velut professæ scur-
B is rilita-

tilitatis laudibus celebratum; non ferè turpius agentem, si convitiis scommatibusque deserviat, quam si libidinis mercedem accipiant scorta, quæstum apud ædiles professa; corporum nundinalitia, atque occisæ in publico castitatis propudia.

At non tamen ideò in sortem talia perpetiendi projectos alios, si in hanc nequitiam Pufendorfiū natura genuerit. Favisse hæctenus, ut sæpe solet, improbitati fortunam, ut etiam scurrilitatis laureâ sibi ad famam gradum fecerit, vitio malignitatis humanæ, obtreccionem & livorem pronis auribus accipere, atque aliorum ludibrio, opprobriisque velut joculari malo gaudere. Eò scilicet celebritatis provectum Pufendorfiū, ut non suo, non aliorum iudicio quispiam esset, à quò, si hisce artibus depugnandum esset, vinceretur conviciandi solertiâ. Hac nempe clavâ prostratos jacere Velthemium, Gesenium, Becmannum, Schwarziū, & jam ultima aut expertum aut expectantem Albertum, non minori strage, quàm quæ prostrati Philistini foedissimæ cladis monumenta præbuerint, quæ ignominiosior clades esset, asininis armis dejecti. Atque ita meruisse, qui addicere credulitatem suam recusent, quæ tota istius fundi calamitas sit; suæque merito pertinaciæ pœnas exsolvere, qui imperium aspernentur hominis, ipso Naturæ jure regnantis, aut regnare cupientis. Negare id quidem Pufendorfiū, libertatem philosophandi professum, neque molestum sese cuiquam futurum, nisi armorum initium necessitatemque calumniis suis alii facerent.

At

At verò si aut causæ justitiæ, aut tuendæ suæ existi-
mationis officio, aut justo deniqve dolori condonen-
tur jacta in Velthemium, Gelenium, Albertum, & ne
tot alia repetamus invisâ Pufendorffio nomina, nullo
quidem ad causæ momentum profectu scommata,
maledicta, convicia, quid tandem meruisse Generosum
Seckendorffium, virum præcipua nobilitate, eruditio-
nis, rerumqve in republica, magnisqve aulis egregiè
laudantibus atqve approbantibus summæ prudentiæ
Principibus gestarum celebritate illustrem, quem im-
pudentissimis sannis, dictariis conviciisqve conspueret.
Disseant nimum quamvis modestissimè contra Pu-
fendorffium ausum esse; ideoqve afficiendum fuisse,
ut non magnopere hoc laceffito gaudere liceret. Et ta-
men nihil inclementius illum dixisse, ne ipsum quidem
Pufendorffium negare ausum, verborum, quibus iste
us, civilitatem ipse agnoscentem: At verò affatim sub
istis veneni latere Pufendorffii scilicet ex sensu atqve
ingenio, superbiæ rabie, atqve virulentia suæ veneno a-
gitati. Hinc tantum ex more excitatum apud Pufen-
dorffium incendium irâ suâ non contumeliâ inflamma-
tum, cui restringendo non nisi à ruina gloriæ Secken-
dorffianæ remedium sit. Ita videlicet conviciis, quo de-
centius prodeant, defensionis nomen imponi, ne gratis
tantæ dignitatis existimationisqve virum incessisse vi-
deretur. At quam, malum! defensionis rationem,
quem sui tuendi nisi fortean Jure Naturæ Pufendorffia-
no modum esse, in virum, si non earundem partium,

p. 32.

p. 33.

B 2

mo-

modestè tamen, quod etiam iste fateatur, dissidentem, tanto impetu, tanta impudentiâ irruere, parta tot annorum decora uno, si liceat, ictu profternere, protere re laudes, nihil deniqve facere reliqui, quo virum celebratissimum publico contentui, ludibrio, derisuiqve objiceret, eò vecordiæ progressum, ut commodè satis tractasse videri velit, si inter Conscribillatores valde mediocres quarta aut quinta in classe locum sortiri patiatur adscitus suoapte suffragio litteraturæ Princeps, qui ceteris famam pretiumqve constituat, & cujus imperio judiciove præmia honoresqve Musæ largiantur. At si pudoris eguerat, homo pudoris quidem præmortui, fumeret mutuum, nisi usurpandi ejus consilium insania excussisset. Non certè eo fortunæ fastigio collocatum Pufendorfiū, Lundensem cathedram calefacientem, ex quo adeò despiciatui haberet virum supremis honoribus, egregiorum Principum judicio, usum; neqve eo eruditionis culmine eminere, cui comparata Seckendorfiana vilesceret. Verùm aliter catulos olere, aliter fues. Alio apud viros eruditissimos gravissimosqve, alio apud Pufendorfiū judicio frui, sui veneratione stolidum, suæqve tantum venustatis inepto amore calentem. Certè eum ingenio Seckendorfiano honorem vix ad virilis ætatis robur provecto habuisse Bœclerum, summæ celebritatis virum, quem inter Triumviros ordinandæ ornandæqve litterariæ Reipublicæ collocaret. Et ne amoris id aut assentationi datum ogganniat Pufendorfius, alieni decoris invidiâ æger, etiam cùm mutato publicis privatisqve ex causis animo
indi-

indignissime eundem Bœclerus habuisset, undiq̃ue
conq̃visitis quæ ad vellicandi mordendiq̃ue occasio-
nem traheret, nihil hac quidem in gloriae parte, quid
argueret, reperisse, quàm quòd isto, quo inter maxi-
mos Imp. Principes tum dilceptabatur negotio, editis
jussu eorum, quorum imperiis parendum erat, à Se-
ckendorffio libellis, doctrinâ & ingenio abuti lubuisset;
abusum doctrinæ atq̃ue ingenii, non inopiam in crimi-
nandi materiam rapiens. At tanto hæc majoris ha-
benda, quanto scurra viro gravi, quantum homine ca-
nis, quantum deniq̃ue Bœclero Pufendorffius inferior
sit. Honestius certè sentire viros, nihilo Pufendorffio
minores, de libris Seckendorffianis, quibus Christiani
statûs vitia, vitiorumq̃ue remedia explicantur, & qui-
bus forte nullus sit, cui ex Pufendorffianis quidquam e-
ruditionis amplitudine, judicii gravitate, fructu deni-
q̃ue atq̃ue utilitate componi mereatur. Atq̃ue inter o-
rationes vernaculo sermone conscriptas, quarum tanto
Pufendorffius, stomachabundus scilicet, laboret fasti-
dio, nullam exstare, cui collata non sordeat jejuna at-
q̃ue misera continuatæ historiæ ad Regium Sveciæ
Principem nuncupatoria Pufendorffii Epistola, tam in-
concinna assentatione huic blandientis, ut pridianæ at-
q̃ue à Gustaviana demùm familia acceptæ nuper nobi-
litis Svecicam arguat Gentem, vilem atq̃; obscuram,
nî acciti è Germania Principes projecto ad Cimmericas
tenebras populo lucem splendoremq̃ue attulissent; e-
gregia in nationem, cujus is sumptibus alitur, & præfer-

*Contin. Ein-
leit. zu der
Historie.*

tim in maximum Regem, Trollanæ Gentis postre-
mum, injuriâ, ne ipsis fortè, quibus blandiendum erat,
probatâ. Neque ipsam historiam multum supra eo-
rum scriptionem eminere, quibus id debetur, ne, quid
hebdomatim per cultiorem terrarum orbem agatur, i-
gnoremus. Neque tamen intra ista, quæ tam proter-
vè insectetur Pufendorfius, Seckendorfiani ingenii mo-
numenta constitisse. Extare historiæ Ecclesiasticæ
compendium, aliaque scripta publicis in causis, non
adjecto quidem, neque tamen incognito auctoris no-
mine, publicæ luci commendationique exposita, ele-
gantissimæ Latinitatis, variæ reconditæque Eruditio-
nis, gravissimi que judicii specimina, quæ quidem scom-
matibus proscindere, quàm imitari facilius fuerit Pu-
fendorfio, non tanti aliis, quanti sibi viso, neque ejus in
scribendo felicitatis, quæ genuinæ Latinitatis laudem
ferre queat. Denique, undecunque æstimes, Pufen-
dorfiano Seckendorfianum nomen illustrius esse, sive
invidiâ rumpat Pufendorfius; sive risu dissolvat illa sua.

Ceterum nimis forte in Seckendorfium laudibus
exerravisse Albertum. At quam Seckendorfii in eo
culpam, si Albertus modum excefferit? Quàm impro-
bitatem, negotium in fonti alienis præconiis exhiberi,
aliorum elogiis ceterorum objectari periculis, laudes
ab aliis dictas isti vitio vertere, immodice forsan lauda-
tum laudanti periculi societate conjungere, atque
utrosque simili ferire sententiâ? Et quam insulas in vil-
lam Meuselvicianam pro asylo virorum bonorum an-
gustio-

p. 6.

p. 32.

gustiores, quàm frigidas de togatis laudibus etiam à veterani sartorio gloriam concinnandis detortas miserè ad eliciendum extorquendumve risum, facetias, sutrinæ scilicet, aut cuique stabulo popinæve aptiores, & cui pares vel veteranus sartor, in commentis variarum togarum occupatus, effutiat. Et utcunque salibus suis gaudeat oblecteturque Pufendorfius, plerosque non eius elegantia atque leporis esse, qui animi malitiam ingenii præstantiâ excusent; ei maximè hominum generi solitos frequentatosque, quibus apud nostros ab animalium genere nomen inditum, cui tantum ab infensa Nobilitate, gulæque suæ intenta, demessis præsertim frugibus, & prodente fugam nive, periculum est.

Non quidem eam Pufendorfianæ gloriæ magnitudinem esse, quæ invidiam conciliet. Neque tamen, si quid ipse rem literariam operâ industriâque suâ juvisset, obrectari viro, si rerum suarum modum nosset non spernendo, neque indigno, qui modestus esset; cui si animus æquus foret, satis habiturum non omnino improsperè famam coluisse. At quam habere poterat famam nimia sui admiratione aliorumque despectu corrumpere; neque ultra ferri posse fastum, in maximos viros nullis justis de causis tam contumeliosè desævientis. Fruatur is atque exsultet commentis suis, à regulis Paradisiaci statûs, quo tanto malo nostro jam pridem excidimus, haud adeò difficulter absolvendis; suis tantum, Naturæ videlicet legibus vivat, quibus & ipsis admoneri potuerat modestiæ, si animum advertere arrogan-

*Elem. Juris-
prud. Univ.
lib. I. de fin.
21. §. 3.*

rogantiæ iracundiæque æstus permisisset. Et verò, ut homines nihil præter dolorem in eo, qui punitur, spectent, tum humanæ mansuetudini naturæ repugnare, tum prorsus esse inutile, ipsum agnovisse Pufendorfi-um; qui humanitatis suæ jam pridem oblitus, in puniendis adversariis sese aliquando acerbiores præbuisse ne dissimulet quidem, etiam vetera odia in vellicando Velthemio, Gesenio, aliis, retractantem, à quibus pœnas, si quas, quod gloriatur, dederint, novo bello repetere injurium sit. In hominum ætate multa evenire ejusmodi, intervenire iras, rediri rursus in gratiam. Neque immortales mortalium iras esse oportere; quarum certè apud homines melioris religionis suæque salutis memores non tam longa memoria sit. Generosi merito animi argumentum haberi, atque ad mansuetudinis Christianæ decus compositi, etiam erroribus offensisqueque facilem sese ignoscentemque præbere; at perpetuas inimicitias irasque exercere, nullum facere finem injuriis, indicium esse hominis, omnem humanitatem à se se amoventis neque cogitantis, repente ut emoriantur humani Joves, suo tandem fulmine miserius deflagraturi, nisi in tempore deserveant. Idque sibi multo magis dictum putare debere, quibus non solo Naturæ vivere lubeat; quo equeidem emori periculolum foret. Atque hæc aliaque similem in sensum, nobis equeidem non dissentientibus dicta, ne ipsum quidem Pufendorfi-um ignorare voluimus; ne insciens esset, quâ is fama frueretur, & si sua medicamini vis foret, remedio ad-
versus

versus superbiam. Nostrum eqvidem non est, Pufendor-
dorium salvum facere, isto præsertim, quo tam im-
pensè gaudet, jure, cui nulla cum legibus præceptisqve
Christianis societas aut communio sit. Neqve tamen
ab officio nostro alienum existimavimus, si non mode-
stiam atqve moderationem persuadere Viro humani-
tatis qvanqvam jura atqve disciplinam professo (neqve
enim ea nobis dicendi vis aut facundia est, & viri pro-
hibet scabies ingeniumqve vetus,) saltem dicteriorum,
qvibus hæctenus egregiis viris insultare is sibi jucun-
dum gloriosumqve putavit, tædium facere, facilius ea
voluptate depellendo, si alios tandem fastidio eorum
teneri comperisset; Id deniqve efficere, quo is minus
gauderet ingenio suo. Aliquid enim fortè minuendæ
vecordiæ contulerit, insanientem applausu destituisse.

*Bacchæ quidem bacchanti si velis adversariet,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius.*

Ast non ita bacchatur Pufendorfius, ut, si paululum ob-
sequare, unâ resolvat plagâ, nî validius suisqve armis
retundas, tumidior. Neqve, Pufendorfianis saltem le-
gibus, injustum fuerit, suis ipsum impetiisse artibus, vi-
cemqve sævitæ reddidisse, in immerentes exercitæ, ne
& ipsius ex laceffitibus aliis indignissimeqve habitis inte-
gra nulloqve doloris sensu corrupta lætitia foret; nî co-
hibeas, semper id sibi licere, arbitratur. Impune quid-
libet facere, id est Regem esse. Nos Cælare tantum
rege, non Pufendorfio utimur. Iniqvum erit. Neqve

C

enim

enim, isto equeidem Jure, inquam, Pufendorfiano, qui
quæ volebat, evomuerat, ea, quæ non vellet, auditu re-
cipere; & ut quo in alios usus est jure, eodem alii in i-
psum utantur. Quin & nobis, ubi ita Pufendorfio vi-
sum fuerit, (& videbitur sine dubio,) ea ipsa conditio-
ne utendum novimus, ad excipienda scommata, con-
vicia, atque maledicta, jam animo paratis, quorum tam
larga Pufendorfio copia est. Aliud enim quidquam
opperiri à viro tam præcipitis iracundiæ, hominis fue-
rit affectuum humanorum, & Pufendorfiani præser-
tim ingenii omnino ignari. Maximè in conviciandi
exprobrandique timoris argumentum occultatum
Scriptoris nomen arripet, tanquam fugâ sese hosti eri-
pientis, cujus se certamini ultra suaque sponte obtule-
rit. Ast, nisi fallor, prudentiæ est, nulla ignaviæ timo-
risve suspitione onerandæ, etiam ubi certamen ingres-
sus sis, ictui te, quantum queas, subducere; atque ma-
lefici generis ingeniique animalia, nondum ad mansve-
tudinem domita, ad spectu occursumque vitare; ea ra-
tione tractanda compescendaque, non ut noceant, sed
quo minus ultra nocere possint. Non certè timoris
opinionem præbet, furiosi canis rabiei non lancinan-
dum corpus exponere. Neque tamen, si ita occasio
atque necessitas ferat, justam, & quæ collatis signis in-
stituitur, pugnam detrectabimus. Neque ea Scanico
Giganti moles est, ut ad progressum istius illicò in ca-
stris nostris trepidetur; neque ea conviciorum vis, ut
ad illorum strepitum nostra mœnia concidant. Non
equi-

eqvidem nescimus, quanto ad feriendum feratur animo vir manu atque audaciâ promptus, istoque genere armorum exercitus; quâ alacritate, quanto exultantis animi impetu devorandos aliis ingerat pugnos; at is cœnam istam, si sapit, largiatur esurientibus; et si omnino in verbera gestiunt manus, quæso primùm ut in parietem domet. Novi hominis mores:

Quisquis obviam huic hinc accesserit irato, vapulabit.

Siquidem hercle Æacidinis minis animisque expletus incedit;

Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit.

Atque hisce, ut aliquo Latinitatis Pufendorfianæ flosculo nostra insigniamus, Pausam faciendam putavimus.



~~Handwritten text, possibly a title or date, crossed out with a large blue scribble.~~

Handwritten number: 8818

Handwritten initials or mark: OK

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten initials: hc

Handwritten word: kost



am ordiri Puf
 dam, ut facile
 ra fore; atqve
 suspensam est
 pudio solistin
 rat pullus, cū
 dem Pater di
 primo statim
 nondum pe
 studium, & h
 mor deseruit.

Jam dud
 partem altere
 sopitas ad luc
 umqve vitæ u
 piebant, jam
 stiâqve defun
 ni Alberti fac
 minatur, quie
 de causâ ind
 dorum occas
 innoxie in alt
 pretatione; u
 videri posset.

Neqve ta
 fuisse Pufende
 tire publica te
 fungi posse co

ciis gravi
 am cete
 meliorem
 edito tri
 evolave
 ipse qui
 otervum
 qvorum
 ci decoris
 odestiæ a-

diti orbis
 idebatur,
 em noxi
 imis acci
 lio mole
 e Valenti
 farius cri
 ullâ novâ
 repeten
 aut dicta
 flet inter
 i accidisse

rationem
 us dissen
 litigio de
 , si de ve
 rita-

